



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. II. Quot in divinis sint Relationes reales, ubi peculiariter de spiratione  
activâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

distinctum referat ad terminum; clarum videtur Relationes hæc in divinis non esse prædicamentales, sed transcendentales.

V. *Alia ratio cur Relationes in divinis non sint prædicamentales.* Deinde Relatio prædicamentalis respicit terminum ut purè terminum, nihil scilicet circa illum aliud agendo, quàm merè respiciendo. Cùm ergo Relationes divinæ, Paternitas nimirum & Spiratio activa terminos suos non merè respiciant, sed producant, vel hoc nomine excluduntur hæ Relationes à ratione prædicamentali.

VI. *Non est contra relationem transcendentalem potere existentiam termini.* Dices: Relatio transcendentalis non petit necessariò existentiam termini: Relationes verò divinæ id petunt: ergo non sunt transcendentales. Respondetur, universum loquendo falsum esse relationem transcendentalem non exigere essentialiter terminum existentem: actio enim, unio, & huiusmodi sunt relationes transcendentales, & tamen nec divinitus existere possunt sine termino: ergo hoc non obstante Relationes divinæ esse possunt transcendentales.

SECTIO SECUNDA.

Quot in divinis sint relationes reales, ubi peculiariter de spiratione activa.

I. *Certum est res in Deo dari relationes reales.* ID imprimis cum omnibus notandum, sermonem hic esse de relationibus originis, quæ relationibus illis in creaturis respondent, quæ in actione & passione fundantur. Certum ergo est tres dari in Deo relationes originis, realiter inter se distinctas, Paternitatem, Filiationem, & Spirationem passivam. Ratio est: cùm namque fide certum sit, dari in divinis tres Personas realiter inter se distinctas, idque per relationes, prædicata quippe absoluta omnibus tribus Personis sunt communia, necessarium planè est, ut relationes per quas realiter distinguuntur, sint etiam realiter distinctæ; cùm unaquæque Persona suam habere debeat, & constitutivum, & distinctivum realiter ab aliis distinctum: neque in hoc ulla est inter Theologos controversia.

II. *Præcipua hæc difficultas est de spiratione activa.* In eo itaque sita est præcipua difficultas, utrum præter tres dictas Relationes, detur quarta, quæ Spiratio activa à Theologis appellatur. Negare videtur Albinus Flaccus, & alii nonnulli apud Suarez lib. 5. de Trin. cap. 4. dicentes Relationem Spiritus Sancti ad Patrem & Filium non esse reciprocam, sed ad eum modum se habere, quo se habet Deus ad creaturas, quæ licet ad eum ut causam referantur, ille tamen relationem causæ, seu creatoris ad eas vicissim non dicit. Unde, inquirunt, licet Spiritus Sanctus ad Patrem & Filium referatur, hi tamen ad eum vicissim non referuntur.

III. *Spiratio activa est realis, per quam Pater & Filius referuntur ad Spiritum Sanctum.* Constans nihilominus Theologorum omnium sententia est, Spirationem activam esse relationem realem, per quam Pater & Filius ad Spiritum Sanctum referuntur, ut illius principium: ita S. Thomas hic, q. 28. art. 4. & cum eo omnes Theologi, ex quibus aliqui hoc asserunt esse de fide. Cùm tamen definitiones hæc de re non sint adeo expressæ, existimo cum Suarez lib. 5. de Trin. cap. 4. tantum id certum esse certitudine conclusionis Theologicæ.

IV. *Eadem videtur ratio de hæc relatione ac de aliis.* Probatur primò: ideo juxta fidem duæ sunt relationes in Patre & Filio, quia Filius producitur à Patre, sicque Pater respicit Filium ut productum, & Filius Patrem ut producentem, sed Spiritus San-

ctus verè & realiter producitur à Patre & Filio, ut in Concilio Florentino in literis unionis expressè definitur, ubi dicitur eum procedere à Patre & Filio, accipere ab iis suum esse &c. ergo cùm eodem modo Pater & Filius respiciant Spiritum Sanctum, sicut Pater Filium, per modum scilicet principii illum producentis, non minùs ad eum referentur, cùm verè illum ut à se productum respiciant, quod realiter loquendo est dicere ad eum relationem. Neque hinc sequitur relationem fundare relationem; Spiratio enim activa à Paternitate & Filiatione non distinguitur, ut dicitur sectione sequente.

Secundò probatur, & ostenditur Spirationem activam esse verè & propriè relationem: nam ut Disp. 5. & 6. Physicorum ostendi, causam aliquam, seu principium dicere relationem transcendentalem ad effectus possibiles, nihil est aliud, quàm habere essentialem cum iis connexionem per modum causæ, seu virtutis eorum productivæ: ergo à fortiori cùm Pater & Filius necessariò producant Spiritum Sanctum, habeantque essentialem cum eo connexionem, non ut possibili, sed ut cum actu existente, & realiter ab iis producto, dicent ad eum relationem transcendentalem producentis, seu spiratoris, sicut ob eandem rationem Pater dicit relationem transcendentalem producentis ad Filium; relationes enim istæ in divinis sunt transcendentales, non prædicamentales, ut ostendi sectione præcedente, num. 4. & docere videtur Pater Hurtado; relationes quippe prædicamentales sunt subjectis accidentaria, & ab iis, ut dixi realiter distinctæ, quorum neutrum competit relationibus divinis.

Dices: Concilia & Patres nullam hujus relationis faciunt mentionem, quo ergo fundamento illam astruimus? Respondetur, licet Patres & Concilia illius non meminerint sub conceptu expresso & formali relationis, faciunt tamen illius mentionem sub terminis æquivalentibus; aiunt enim Patrem & Filium producere Spiritum Sanctum, ut num. 4. vidimus ex Concilio Florentino: hoc autem reipsa est illos dicere ad eum relationem; nec enim ob aliud Pater dicit relationem ad Filium, ut diximus, nisi quia illum producit.

Siqui verò ex Sanctis Patribus interdum negent expressum respectum in Patre & Filio ad Spiritum Sanctum, solum volunt eos quæ Pater & Filius sunt, Spiritum Sanctum non respicere: Pater enim, si quæ Pater illum respiceret, Spiritus Sanctus esset Filius, nam Pater quæ Pater non respicit nisi per generationem, sicut etiam Filius non respicit nisi per Filiationem, sicque si hoc modo respiceret Spiritum Sanctum, Spiritus Sanctus esset illius Pater.

Spiritus Sanctus itaque ad sui productionem petit quidem duo supposita, seu duas Personas spirantes, cùm sit amor mutuus, & consequenter inter duos: ex hoc tamen conceptu præcisè non connotat has duas Personas determinatè, Patrem scilicet & Filium quæ tales. Quare, inquit Vasquez l. p. disp. 156. cap. 3. num. 11. si in aliis duabus Personis eadem numero natura & proprietates reperiretur, idem omnino esset Spirator.

V. *Ostenditur Spirationem activam esse relationem.*

*Pater & Filius cur dicantur relationem ad Spiritum Sanctum.*

VI. *Non obstant Patres relationis spirationis activæ non facere mentionem.*

VII. *Quo sensu quidam Patres negent respectum Patris & Filii ad Spiritum Sanctum.*

VIII. *Spiritus Sanctus petit duas Personas spirantes, non tamen has determinatè.*